

1715

C O D I C E S

1716

*a te &c.* Multa in eo opportune congeruntur et monentur de crebra lectione prolixis orationibus in Claustris anteposenda, ostenditurque, etiam ibi ignorantiam, quae sola oratione non tollitur, multorum vitiorum matrem esse. Opus ipsum in VI. *Libros* tribuitur, qui in *Partes* abeunt, *Partes* in *Capita*. Verum plura dicendi officio Editiones me absolvunt, quae plures extant, ut videre est T. I. *Scriptt. Ord. Praed.* p. 134. et 148.

DCCXVI.

R. 1089 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 232. 4. nitide, non tamen una manu exaratus, minio distinctus, et olim Domus Professorum S. J. *Viennae*, primitus vero *Ortholphi de Trenbach*, cujus jam hoc *Vol.* ad *Tractatum de Antichristo* memini, continet I. Opus de Poenitentia, Confessione et capitalibus Vitiis, eorumque remediis, inscriptum: *Dicz buch ist Cantnütz der sonden genant, vnd tut vns grozze ler bechant, vnd weist vns wie wir vns halten sulen zu dem ewigen leben.* Initium tale: *Unser lieber Herr Jesus christus der alle Dinck mit Seiner Parmbertzichait vbervangen hat, Der hat dem menschen, der durich das sterkchleich mer dieser welt Schiffert vert, vnd der auch layder tickch versinckchen wil — zway schyff bereit &c.* Has Naves esse Baptismum et Poenitentiam. *Darumb hab ich mir erdacht in uren des Durchleuchtigen*

*Hachgebornen fürsten Meins genadigen Herren Herrtzog Albrecht Hertzog zu Osterreich &c. Etleich stuck vrchund vnd chraft des scheffs der Puezz schreiben.* Hoc igitur propositum exequitur Autor per Quaesita, quorum *Quartumdecimum* est: *Wem ain furst peichten sol?* Respondetur: Episcopo suo, enumeranturque Peccata, quibus praecipue Principes obnoxii esse possint. Haec inter censentur Bella iniusta, de quibus se Libellum peculiarem ad Ducem suum *Albertum* scripsisse testatur Noster. *Albertus* hic non alius est, quam qui deinceps Imperator huius nominis II. fuit, ante diem raptus a. 1439. *Fol. 83.* carpit luxum Mulierum, narratque a Viro pio visum fuisse ridentem Daemonem, et causam rogatum respondisse: *Ich hab meinen gesellen reyten sehen auf ainem langen Swancz, der ainer frawen gieng an irem gewant, vnd das die fraw bey ainer lacken den Swancz aufhueb, das mein gesell icht gemayligt würd, vnd do viel mein gesell in die lacken, vnd des hab ich gelacht.* Notantur diferte beslagen riem oder seydein gürttel, die gelb varib an slayru, die frömder lewt har auf ir haupt seczent, oder die ir antlucz mit varib bestreichent. Multa per decursum huius Tractatus antiquata Vocabula pro Glossario legi posse, non est, quod moneam.

II. *fol. 121.* incipit longa Narratio de *Georgio* nobili *Hungaro*, qui Purgatorium S. *Patritii* in *Hibernia* a. 1353. invisit, cujus Exemplar

1717

ASCETICI

1718

emplar latinum recensui *Vol. I. P. 2. col. 2444.* ubi etiam Exemplaris germanici inter Codices *ms. Christinae Suec. in Vaticana* memini. Praefens ἀνεπίγραφος est, et incipit, ut latinum: *Manigveltigleich in mangerlay weis hat got vnser herr Jesus cristus durch sein ewangelisten czweliffboten lerer vnd Junger &c.* Nomina tamen propria, ut sit, diversimode a latinis abeunt. *Purgatorium Patritii* semper adpellatur *die Weizen*, quae vox *Wizze, Wizzi, Weice, Wice* jam apud *Keronem* pro *Poena, Tormentum* occurrit, neque inter *ruricolae super. Austriae*, dum de adparitione Animarum purgantium sermo est, prorsus exolevit. Ad finem *penult. Cap.* Librum hunc scripsisse dicitur *pruder niclas von der astaw*, five legas *ascaw. Nicolaum Astonum* proferunt Literatores Angli, et congrueret aetas; floruit enim circa a. 1363. Verum is *Frater* non fuit. *Ascharia super. Austriae* Oppidum est.

Anterior Theca praefert *Galeam Trenbachiorum*. Post prius Opus legitur: *Das puechll Ist Herrn Ortholphen von Trenbach ze sand mertten.* Thecae posticae ruditer adpictum est Insigne *Trenbachiorum*, circumdatum aliis 7, videlicet: *Sattelpogen, Achdorff, Zenger, Stabell, Aystershaim, Sinczendorff* et *Anbanger*, quae Familiae cum *Trenbachiana* conubiis junctae fuere, ut colligi potest e *Genealogiis Austr. super. J. G. Adami L. B. Hobeneckii,*

nunc vero praeter penultimam omnes extinctae sunt.

DCCXVII.

Codex chartaceus ital. Sec. R. 1216 XVI. Folior. 46. 4. pereleganter exaratus inscribitur: *Salmi di Messer Bernardo Tasso*, dicaturque *A la Sereniss<sup>a</sup>. Madama Margherita di Vallois Duchessa di Savoia*, quam *Francisci I. Franciae Regis* filiam *Emm. Philibertus Dux* in toro habebat. Et reipso Exemplar nostrum illud esse, quod ad *Margaritam* misit Autor, probat cum summus calamitor, tum Insigne *Sabaudicum* circumfluo Virginis vulgo *Annuntiatae* equestri torque thecae utrinque auro impressum, denique Dicationi ipsa data *Di Venetia. il XV. di Decembre. del. MDLIX.* ad apicem reddita a *Gabr. Giolito*, qui *Psalmos* hos XXX. non e *Davidicis* conversos, sed proprio ingenio *Bernardi* non minore pietatis adfectu, quam linguae metricae cultu elaboratos primus in lucem etulit *Venet. 1560. 12.* cum reliquis *Tassi* Poematis (*Rime*) in V. Libros divisit, Libroque Hymnorum et Odarum. Unum est, quod Dicationi editae deesse video: *Di V. Altezza Humill. et perpetuo Seruo Il Tasso*; quod, cum a reliqua scriptura differat, ipsius *Bernardi* manum habeo. Psalmi ipsi incipiunt: *Perche sommo Motore In me de Tira tua gli strali aventi &c.* De eorum Editionibus videri possunt Autores citati

P P 3

citati